



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopis qui, non visitatis parochiis, precium seruitutis requirunt.  
ccxxix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

*De episcopis qui non visitatis parochijs precium  
seruitutis requirunt. Cap. CCXXIX.*

*Ex cōcil. Triburijs habito re pore Ar nolphi re gis, ca. 26* **D**ELATA est coram sancta synodo querimonia plebium, eò quòd sint quidam episcopi nolentes ad parochias dicandū, vel ad confirmandum suas per annum parochias circumire: qui tamen exigant, vt mansiones, quibus in professione vti debuerant, alio precio redimant, qui parare debent. Quæ duplex infamia, & negligentia, & auaritia sanctæ synodo horrore fuit magno: & statuerunt, ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & vt sollicitiores sint episcopi de suis gregibus visitandis.

*De purgatione episcoporum. Cap. CCXXX.*

*Ex cōcil. apud Althabito presente Conrado rege, cap. 16.* **S**TATUIMUS propter Dei dilectionem, & proximi, & fidelium honorem catholicorū, & præcipue ob multitudinem, scandala eruenda, & funditus extirpanda, & perturbationes quæ nouiter exorta sunt, & oriuntur: necnon vt omnes sciāt nos episcopos, tales Dei misericordia nequam esse quales dicimur, exemplum sancti Leonis papæ, qui supra quatuor Euangelia iurans, coram populo se purgavit, sequi & imitari, salua tamen authoritate canonica

*De eo qui ex monacho factus fuerit Episcopus.  
Cap. CCXXXI.*

*Ex eodē cōcil. presente rege Cōrado, ca. 36* **S**TATUTUM & rationabiliter secundum sanctos patres synodo est firmatum, vt monachus quem canonica electio à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat. Sed quicquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat, & abbatis sui, qui fuerat secundum regulam sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur & titulatur, secundum sacros canones quod accipere poterit, restituat.

*De illo qui de aliqua hæresi infamatur, quòd in sacro  
conuentu formulam istius professionis recitare debeat. Cap. CCXXXII.*

*Ex epist. Cyril. ad Ioannem Antioch.*

**E**GO N. hac scriptura quam manu mea perscripsi profiteor sequens sanctum iudicium patrum Nicæni